

quae[que] suo quicque loco sunt posita, ea minus  
 loci occupant, et minus officit aliud alii ab sole ac  
 luna et vento. hoc licet coniectura videre ex aliquot 3  
 rebus, ut nuces integras quas uno modio comprehendere  
 5 possis, quod putamina suo loco quaeque habet natura  
 composita, cum easdem, si fregeris, vix sesquimodio  
 concipere possis. praeterea quae arbores in ordinem 4  
 satae sunt, eas aequabiliter ex omnibus partibus sol  
 ac luna coquunt. quo fit ut uvae et oleae plures  
 10 nascantur et ut celerius coquantur. quas res duas  
 sequuntur altera illa duo, ut plus [L] reddant musti  
 et olei et preti[i] pluris.

Sequitur secundum illud, quali terra solum sit 5  
 fundi, a qua parte vel maxime bonus aut non bonus  
 15 appellatur. refert enim, quae res in eo seri nascique  
 et cuius modi possint: non enim eadem omnia in  
 eodem agro recte possunt. nam ut alius est ad vitem  
 appositus, alius ad frumentum, sic de ceteris alius  
 ad aliam rem. itaque Cretae ad Cortyniam dicitur 6  
 20 platanus esse, quae folia hieme non amittat, itemque in  
 Cypro, ut Theophrastus (*hist. pl. I 9,5*) ait, una, item Subari,  
 qui nunc Thurii dicuntur, quercus simili esse natura,  
 quae est in oppidi conspectu: item contra atque apud  
 nos fieri ad Elephantinen, ut neque ficus neque vites  
 25 amittant folia. propter eandem causam multa sunt  
 bifera, ut vitis apud mare Zmyrnae, malus [biferae  
 ut] in agro Consentino. idem ostendit, quod in locis 7  
 feris plura ferunt, in iis quae sunt culta meliora.  
 eadem de causa sunt quae non possunt vivere nisi in  
 30 loco aquoso aut etiam aqua, et id discriminatim [ut]  
 alia in lacubus, ut <h>arundines in Reatino, alia in  
 fluminibus, ut in Epiro arbores alni, alia in mari, ut

1 del. Iuc. || 3 aliquod || 11 sequuntur *mv.* sequantur | del. v. ||  
 19\* || 24 Elephantinen *Sylburg.* elephantinem || 25\* || 26 vitis  
*ex Plinio Keil.* vites | zmyrnae (*zmurne cod. Par.*) || 26 sq. del.  
*Keil* || 28 in his (*in iis apographa nonnulla*) || 30 del. *Keil* ||